

Certum tamen nobis videtur ipsum donatorem hanc rescissionem invocare non posse si revera donare voluit, licet actus seu instrumentum aliqua formalitate legali careat; nam donatarius verum acquisiit jus strictum naturale, quod lex civilis, ut videtur, non intendit ab ipso auferre.

Si vero ageretur de re notabili, præsertim immobili, nondum tradita et instrumento non adhuc facto, quid sentiendum esset de donatore qui propositum revocaret et rem tradere nollet? Donator ille contra fidelitatem peccaret et damnum inde obventurum donatorio illuso reparare teneretur. Sed violaretne justitiam commutativam non tradendo rem quæ fuit objectum conventionis? Non liquet. Dicitur quippe potest eum non intendisse dominium rei suæ transmitti nisi per scriptum authenticum. Forsan igitur non esset adigendus sub denegatione absolutionis ad rem tradendam.

2º De testamentis.

Major est adhuc concertatio, inter theologos ac juristas, circa validitatem testamenti formis a lege præscriptis destituti.

Triplex distingui potest opinio eodem modo quo diximus de validitate donationis inter vivos. At non pauci, tenentes validas esse donationes formis a lege præscriptis destitutas, volunt tamen nulla esse testamenta pro foro interno, etiam ante sententiam judicis, idque ob rationes infra in objectionibus allegandas. Nos vero eodem modo ratiocinandum esse de donationibus inter vivos et de donationibus per testamentum arbitramur. Itaque sit

PROPOSITIO.

Donatio per testamentum certo libera, inter personas ad donandum et accipiendum jure habiles, partem bonorum quæ dari potest non excedens, in foro conscientie valida est, saltem ante sententiam judicis, licet formis a lege præscriptis sit destituta.

Prob. Omnes jure naturali per testamentum valide donare possunt; saltem lex civilis hanc facultatem generalem

omnibus agnoscit in art. Cod. 902: » Toutes personnes » peuvent disposer et recevoir soit par donation entre vifs » soit par testament, excepté celles que la loi en déclare » incapables: • Donationes igitur solemnitatibus a lege præscriptis destitutæ, pro foro interno sunt validæ, quando lex positiva expresse eas non irritat, quia *odia sunt restringenda*: atqui lex positiva non videtur irritare, pro foro interno, donationes testamentarias quibus desunt formalitates a lege præscriptæ.

1º Duo tantum allegari possunt Codicis articuli, nempe 893: « On ne pourra disposer de ses biens, à titre gratuit, » que par donation entre vifs ou par testament, dans les » formes ci-après établies; » et art. 1001, qui sic se habet: « Les formalités auxquelles les divers testaments sont assu- » jettis par les dispositions de la présente section et de la » précédente, doivent être observées à peine de nullité: » atqui duo illi articuli expresse non irritant, pro foro interno et etiam ante sententiam judicis, donationes testamentarias quibus requisitæ desunt formalitates. Non prior: communis est enim donationibus inter vivos et donationibus per testamentum; porro non irritat donationes inter vivos requisitis formalitatibus destitutas; probavimus enim has donationes inter personas jure habiles, portionem bonorum a lege permissam non excedentes, et ex spontaneitate procedentes, in foro interno esse validas, imo et licitas, donec per sententiam juridicam rescissæ fuerint: ergo similiter et donationes per testamentum. Sensus itaque prædicti articuli est actus donationum præscriptis solemnitatibus destitutos, nullam vim in foro externo seu coram judicibus habituros esse.

Nihil autem clare denotat articulum 1001 latiore habere sensum, et ad obligationes naturales extendendum esse.

2º Nedum lex positiva clare exprimat donationes de quibus agitur pro foro interno esse nullas, supponit, e contra, eas esse validas; si enim hæredes defuncti donationes testamentarias voluntarie confirmaverint, ratas habuerint aut executioni mandaverint, defectum formali-

tatum opponere non possunt. *Art. 1340.* Attamen ex articulo 1235, omnis solutio indebita repeti potest, sed, ex eodem articulo, solutio obligationis naturalis non reputatur indebita. Ergo supponitur ex testamento formis destituto nasci obligationem naturalem.

3° Ideo autem quædam statutz sunt formalitates pro testamento, ut apud iudices certissime constare posset testatorem hanc aut illam dispositionem reipsa et libere fecisse, proindeque ut omnis fraus aut alia quælibet machinatio injusta sedulo præcaveretur: at in casu nostro, prout illum exposuimus, nulla existit fraus neque machinatio injusta, sed omnino libere testatus est defunctus. Ergo male infertur legislatorem prædictas dispositiones radicaliter annullare voluisse.

4° Non præsumitur legislatorem velle subditos ad aliquid nimis grave obligare, quando bonum publicum illud non expostulat. At si prædictas donationes testamentarias pro foro interno, etiam ante sententiam iudicis, irritaret, subditos ad aliquid nimis grave obligaret quamvis bonum publicum illud non expostularet: 1° ad aliquid nimis grave eos obligaret; inde enim sequeretur quod vel una formalitate ex incuria, ignorantia, culpa aut inadvertentia notarii deficiente, ultimæ testatoris voluntates subvertentur, et legatarius id omne quod vi hujusmodi testamenti suscepisset, ultro et ante iudicis sententiam refundere deberet: at certe hæc nimis sunt dura. 2° Bonum publicum talem irritationem non exigit; nam personæ supponuntur jure habiles ad donandum et ad accipiendum, portio reservata manet integra, perfecta existit libertas in donatore, nulla fuit fraus nullusque dolus, quidquid denique factum est legitime fieri poterat: ergo nihil est contra finem legis. Ergo 2°, etc. Aliunde, etc. Ergo.

Ita *Lessius*, lib. 2, cap. 19, qui dicit suam sententiam esse communem; *Molina*, *Sylvester*, *Sylvius*, inter varias resolutiones de Testamentis, t. 5; *Layman*, lib. 3, de Just. Tract. 5, c. 2, n. 17; *Billuart*, dissert. 1, art. 3; *S. Ligorius*, lib. 3, n. 927, et multi alii, contra *Suarez*, *Vasquez*, card. *de Lugo*, *P. Antoine*, *Habert*, *Collat.*, *Andeg.*, *Collet*, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Lex quæ formalitates testamentorum præscribit, non in fraude, sed in periculo fraudis fundatur: atqui lex in periculo fraudis fundata semper obligat, etiam in casu in quo nulla fraus exstitit: ergo.

R. Dist. maj. Lex quæ formalitates, etc., fundatur in periculo fraudis, sed in foro externo solummodo vim habet, *conc.*; et in foro interno vim habet, etiam ante sententiam iudicis, *nego maj.* Itaque non diffitemur legem prædictam in periculo fraudis fundari; requiritur enim ut prudens statuatur regula quam iudices sequi debeant in tribunalibus: at propter fraudis periculum hæc instituta est regula, nempe ut soli actus scripti, quibusdam formalitatibus induti, tanquam sufficientes hujusmodi donationum probationes haberentur. Valde prudenter hæc instituta fuit regula; iudices enim veram defuncti voluntatem cognoscere non possunt nisi per signa externa; maxime interest ut eorum arbitrio nihil relinquatur et uniformitas ubique servetur: dicta igitur regula sapienter a lege fuit instituta. Sed ad forum internum non respicit, eo sensu quod obligationem naturalem penitus dirimat; rigorosa enim hæc dispositio in Codice sufficienter non exprimitur. Ergo.

Obj. 2°. Eodem modo lex pronuntiat nullum esse testamentum cui requisitæ desunt formalitates, et testamentum inter personas inhabiles conditum, aut permissam honorum portionem excedens: ergo vel in utroque casu vel in neutro testamentum istud pro foro interno est validum.

R. Nego conseq. Nam genuina legislatoris intentio quærenda est: at, in utroque casu, eadem non fuit legislatoris intentio. Quando enim statuitur aliquas personas esse inhabiles, aut cum certa pars honorum reservatur, manifesta legislatoris intentio est bona ad has aut illas personas non transitura, aut liberalitatem portionem determinatam non excessuram; contra vero, ubi de formalitatibus requisitis tantummodo agitur, certum est legislatorem nolle impedire ne bona ad personas designatas transcant, siquidem

supponuntur habiles, et aliunde portio a lege præscripta reservatur: ergo id unum intendit, scilicet, determinare et assignare instrumenta quibus voluntas testatoris apud iudices constare valeat. Porro, in suppositione nostra, voluntas testatoris certissime constat, licet iudice probari nequeat: ergo valet obligatio naturalis.

Inst. Ideo plurimi ad accipiendum declarantur inhabiles, v. g., medici et ministri divini cultus respectu moribundi, tutor respectu minoris, etc., quia legislator timet ne fraus aut injusta machinatio exerceatur: ergo ubi certum est nullam fraudem nullamque machinationem injustam exstitisse, donatio hujus generis tam valida esse debet in foro interno, quam si requisitis formalitatibus duntaxat careret.

R. 1°. Non ita quidem manifestum est donationem in eo casu esse nullam, quam si portio a lege reservata læderetur, quia non ita clarum est talem esse voluntatem legislatoris.

R. 2°. *Nego consequentiam et paritatem.* Nam 1° lex in præsentī casu habet pro objecto directo ipsammet personam, quam ab actibus liberalitatis excludit; in priori vero casu, nempe ubi de solemnitatibus tantummodo agitur, lex nullo modo personam excludit, sed solum donationis actum respicit: ergo re ipsa donatarius contra intentionem legislatoris non possidet. 2° Si doceremus dictas personas in quibusdam casibus pro foro interno inhabiles non esse, rationabiliter timendum esset ne plurimi, seipsos decipientes, in bona fide moribundos circumvenirent eosque ad testandum determinarent, quod sapienter legislator impedire voluit. Idem non existit periculum ubi de solis formalitatibus agitur; in hypothesis enim nostra, si existerent formalitates statutæ, valida esset dispositio: at sæpe non minus constat testatorem perfectam habuisse cognitionem et liberum fuisse, quam si notarius et testes adstitissent, quam si cunctæ formalitates præscriptæ impletæ essent: ergo. 3° Plures et graves habemus auctores pro validitate testamenti formalitatibus destituti, nulli vero citari possunt pro validitate testamenti erga personas inhabiles con-

diti; imo contrarium expresse nobis respondit *D. Delvincourt*, die 15 anni 1818. Ergo.

Obj. 3°. Hæc opinio est nova et contra constantem ac unanimum theologorum et juristarum doctrinam: ergo est rejicienda.

R. 1°. *Nego ant.* Patet, ex numero auctorum quos citavimus, opinionem nostram non esse novam et singularem.

R. 2°. *Nego consequentiam.* Nam theologi et juristæ veteribus nitentibus legibus, easque sic interpretabantur: porro veteres illæ leges nullam vim nunc habent, sed ex novis tantum ratiocinari debemus: at irritatio pro foro interno, ex formalitatum defectu proveniens, sufficienter expressa in novo Codice non videtur, propter rationes allatas. Præterea, quando de genuino sensu legum agitur, naturales earum interpretes præcipue sunt consulendi: atqui *D. Delvincourt*, in facultate Parisiensi juris professor et decanus, bis a nobis hac de re consultus, respondit nostram opinionem esse suam et veram. Ita alii nobis responderunt. *D. Guilhon*, *Traité des Donations entre vifs*, t. 1, p. 365, n. 453 et seq., clarissime opinioni nostræ favere videtur. Expresse eam tradit *D. Duranton*, *Traité des Contrats*, t. 1, n. 13 et 300. Sic etiam *DD. Gousset*, novus annotator Collationum Andegavensium, t. 7.

Diximus in propositione *saltem ante judicis sententiam*; multi enim volunt hæredes *ab intestato* rescissionem hujusmodi testamenti, tuta conscientia, petere posse, licet perfecte sciant defunctum sic testari intendisse: nam 1° eo modo leges obligant quo accipiuntur: atqui mos ubique invaluit ut legatarii tranquille possideant quod vi testamenti aliqua formalitate destituti obtinent, et nihilominus hæredes *ab intestato* nullitatem hujusmodi testamenti tuta conscientia coram iudicibus expostulent, eaque obtenta, hæreditatem legitime adeant. 2° Sola hæc sententia rationi est consentanea; durius enim esset legatarios testamento renuntiare teneri etiam ante sententiam iudicis, aut hæredes *ab intestato* nullitatem testamenti formis destituti petere non posse: præsens autem sententia ab utroque rigoris

excessu temperat. 3^o Legislatores voluerunt simul favere libertati privatorum et securitati familiarum providere, ut patet ex discussione legis circa donationes inter vivos et per testamenta : porro utrumque sufficienter obtinetur, et nihil nimis grave præcipitur, si prædictæ dispositiones sint validæ ante sententiam judicis, dirimantur vero per sententiam judicis sicut contractus a minoribus initi : ergo. Ita Soto, Bannes, Layman, Sanchez, Cabassut, Ferraris, Billuart, S. Ligorius, et multi alii, inter quos eruditus auctor novi Tractatus de Contractibus Tolosæ impressi.

Huic sententiæ libenter assentimur pro praxi, et in hoc a doctrina in prioribus hujusce Tractatus editionibus contenta non multum recedimus ; nam olim dixeramus non monendum esse qui rescissionem testamenti formis carentis expetere in bona fide paratus esset et prævideretur monitioni non cessurus, *præsertim cum non desint doctores et theologiæ professores qui teneant illum, tuta conscientia, sic agere posse, quia facultate a lege sibi concessa utitur.*

Re de novo sedulo perpensa, arbitramur 1^o testamentum inter personas habiles, portionem bonorum a lege permissam non excedens et libere conditum, creare obligationem naturalem vi cujus legatarii bona sibi data tuto postulare, accipere et retinere possunt ; 2^o in tanta animorum conflictatione, hæredes *ab intestato* communiter non inquietandos esse si, beneficio legis utentes, rescissionem testamenti expostulent ; 3^o testamento per sententiam judicis rescisso, legatarios teneri etiam in foro interno bona accepta reddere, et via compensationis nullo modo uti posse : imo eos, certissime scientes testamentum esse nullum in foro externo, rem acceptam reddere teneri ad minus ex charitate, quando expresse postulatur, etiam ante judicis sententiam, quia, cum eorum condemnatio futura sit certa, in causa esse non debent cur pars adversa sumptus et incommoda litis sustineat. Affirmare tamen non auderemus eum, qui etiam in hoc casu sententiam judicis expectare vellet, contra justitiam peccaturum esse.

Si vero hæres testatori moribundo promisisset se testamentum, etiamsi nullum foret, fideliter exsecuturum esse,

promissioni suæ procul dubio stare deberet ex fidelitate et probabiliter ex justitia, ob petitionem defuncti cui assensit.

Diximus in n^o 2^o *communiter non inquietandos esse*, quia sunt casus in quibus eos sub denegatione absolutionis cogere ad solvenda vel non repetenda legata, nempe 1^o si ageretur de dispositione remuneratoria, facultatibus defuncti et servitiis præstitis proportionata, ut modo explicabitur ; 2^o de dispositionibus ob pias causas statui ejus congruis, si, ex adjunctis, potius censi debeant remedia salutis quam dispositiones mere gratuita ; tunc enim sub regulis donationum cadere non debent ; 3^o si probabilis existeret ratio judicandi dispositiones habere pro objecto restitutionem faciendam aut debita solvenda ; 4^o si hæres, per quamdam inactionem, effuisset ut testamentum aliqua formalitate requisita careret, etc.

3^o *De quibusdam donationibus quæ ordinariis non subjiciuntur regulis.*

1^a est donatio de manu ad manum : hæc donatio, si fiat inter personas jure inhabiles, est nulla ; si partem reservatam excedat, est reductibilis, ut patet *ex dictis et ex dicendis*. His casibus exceptis,

1^o Donatio de manu ad manum facta inter vivos, sine ulla formalitate, sed traditione completa, in utroque foro valida est. Valet quippe in foro externo, ex art. 2279 sic se habente : *En fait de meubles, la possession vaut titre*. Sic sentiunt jurisperiti et judicant curiæ appellationis. Ergo *a fortiori* valet in foro interno.

Nomine bonorum mobilium intelliguntur tituli originales privati et omnia chirographa quæ sola traditione transferri possunt. Unde summam pecuniæ tibi mutuan dedi vel censum consignativum aut vitalitium a te sub signo privato emi, scriptum tibi trado, dicens : Hanc summam vel hunc censum in te transfero ; valet donatio, tum in foro interno, tum in foro externo.

Si vero tales essent tituli ut sola traditione transferri non

possent, ut sunt generatim scripta authentica, donatio non valeret in foro externo, et causam habentes a donatore rescissionem, ex dictis, ordinarie tuta conscientia petere possent.

Colligitur donationem a moribundo factam, cum traditione et intentione dominium hic et nunc transferendi, esse validam, quia reipsa fit inter vivos.

2° Si hæc donatio fiat ab ægroto irrevocabiliter, cum ea sola conditione quod res sibi restituatur si convalescat, communiter habetur ut valida, adhuc in utroque foro, quia dominium transfertur sub clausula resolutoria: morte adveniente, jam non datur resolutioni locus.

Verum si donator sibi reservet facultatem donationem revocandi quando voluerit, major est difficultas, quia tunc esset præcise donatio *causa mortis*, a nobis definita, quæ, ex art. 893, a jure nostro sublata esse videtur. Plures arbitrantur talem donationem esse nullam, quia lex non admittit dispositiones *causa mortis*, nisi in forma testamenti.

Sic auctor Tractatus de Justitia et Jure, Ambiani anno 1827 impressi, *Toullier*, t. 5, p. 275, negat eam in foro externo valere. Affirmant *Guilhon*, t. 1, p. 365, et auctor Tractatus de Contractibus Tolosæ impressi.

Nos vero pariter contendimus eam esse validam, præsertim in foro conscientiæ, quia ex lege nulla sufficiens deponitur ratio quæ probet non tam valere donationes manuales causa mortis quam simpliciter inter vivos. Porro donatio inter vivos sic facta valeret. Ergo.

Sed quaritur an donatio ista valeret, si res in manu tertii deponeretur cum onere eam, post mortem deponentis, personæ designatæ tradendi, vel pauperibus erogandi, aut in pias causas impendendi.

R. affirmative quoad forum internum: adest enim capacitas in testante,abilitas in accipiente, ut supponitur, et rei traditio, quæ reputanda est titulus, saltem ante sententiam judicis. D. *Guilhon*, t. 1, p. 371, idem expresse docet etiam pro foro externo, et n. 457 sic absolvit: « Sur les dons manuels, la cour de cassation vient de rendre

» un arrêt remarquable. Par cet arrêt, elle a décidé 1° que
» la tradition suffit pour la validité des dons manuels;
» 2° qu'un billet à ordre peut être remis avec un endossement en blanc; 3° que cette remise peut être faite par
» un tiers, après la mort du donateur. » *Sirey*, an. 1816, p. 122.

Sic evanescent innumere difficultates sæpe occurrentes et confessarios non parum torquentes. At hæc non possunt applicari nisi mobilibus quæ reipsa traduntur.

2^a est donatio indirecta, seu simulata, id est, quæ occultatur sub specie contractus onerosi, v. g., venditionis, census vitalitii, etc. Ex jurisprudentia nunc recepta constat hujusmodi donationem validam esse in foro externo, proindeque in foro interno, modo fiat a capaci, in gratiam habilis et intra limites honorum non reservatorum, v. g.: Petrus villam suam centum millia fr. mihi vendidit: statim exonerationem (*décharge*) mihi tradit, pretio non accepto cum intentione pretium condonandi; valet contractus etiam in foro externo, supposita utrinque habilitate et reservatione servata.

3^a est donatio accessoria, seu quæ ex conventionione cum tertio inita sequitur, v. g.: domum meam vendo Petro ea conditione ut centum nummos donet Paulo. Communiter docent auctores et Curia suprema judicavit hujusmodi donationes, licet formis præscriptis destitutas, valere, quia non sunt præcise isti donationis actus quos lex civilis attingit.

4^a est donatio remuneratoria, id est, quæ fit ob beneficium acceptum vel officium præstitum. Si hæc donatio sit tantum compensatio vel merces juris stricti, regulis donationum proprie dictarum non subjicitur, ut patet. Si autem ex mera gratitudine fiat, licet quædam sit difficultas, generaliter tamen docetur eam esse validam, sive inter vivos, sive causa mortis, modo fiat inter habiles et partem disponibilem non excedat, etsi formis a lege præscriptis destituatur. Nam ista dispositio non habetur ut donatio proprie dicta, sed ut quasi solutio naturalis debiti, quod agnoscere debet lex moralis et revera agnoscit lex civilis, art. 1235.

5^a est donatio onerosa, videlicet ea cui donator quoddam annectit onus, sive in gratiam sui, sive in gratiam tertii. In priori casu, valet donatio, etsi formis præscriptis sit destituta, quia est potius quædam solutio vel commutatio quam donatio; si tamen multum superet onus, datur locus reductioni. In posteriori casu, vera existit donatio in gratiam tertii: regulæ igitur pro donationibus statutz huic dispositioni applicantur.

SECTIO SECUNDA. — De parte honorum quæ dari potest.

Si lex non obstaret, unusquisque omnia bona sua secundum beneplacitum libere donare posset; sed variis in casibus lex positiva certos posuit limites quos absque injuria prætergredi non licet, nam dispositiones directe tunc contra mentem legislatoris essent. Pars autem cujus donationem lex prohibet olim dicebatur *legitima*: nunc vocatur *reservatio*, id est, portio hæredibus vi legis necessario reservata.

Ut autem reservatio recte noscatur, coadunantur omnia bona tempore mortis donatoris existentia, quibus adjiciuntur bona ab eo per actus inter vivos donata, secundum eorum statum momento donationis et valorem quem habebant tempore mortis donatoris, quibuscumque oneribus deductis. *Cod. civ. art. 922.*

Lex nullam exigit reservationem in gratiam fratrum aut sororum, nec proinde in gratiam aliorum in linea collateralis consanguineorum: unde qui nec ascendentes nec descendentes habet, omnia bona sua, sive inter vivos, sive per testamentum donare potest. *Cod. civ. art. 916.* Peccaret tamen etiam graviter, si naturales hæredes suos præsertim propinquiores sic frustraret, nisi rationabili duceretur motivo; id quædam naturalis æquitas omnibus dictare videtur. Motivum istud iudicio viri prudentis ex diversis circumstantiis pensandum est: at, etiamsi nullo rationabili motivo duceretur, contra justitiam tamen commutativam non peccaret, ac proinde legatarii restituere non tenerentur, nisi forte ex charitate ad vitandum scandalum.

Aliqua autem existit reservatio in favorem ascendentium et descendentium, et hæc pro diversis casibus variatur: itaque,

1^o Qui ascendentes in utraque linea habet, dimidiam tantum partem honorum suorum donare potest; tres vero ex quatuor partibus (*les trois quarts*), si ascendentes in alterutra duntaxat linea habeat. *Art. 915.*

2^o Qui unicum et immediatum habet descendentem, id est filium aut filiam, dimidiam partem honorum suorum dare potest; tertiam partem si duos, et quartam si tres aut plures habeat. Inter liberos reputantur nepotes, sed pro stipite tantum ex quo descendunt: hinc qui unicum habet filium et ex illo decem nepotes, nihilominus dimidiam honorum suorum partem dare potest. *Cod. civ. art. 913 et 914.*

3^o Qui ascendentes aut descendentes habet, uni ex illis eam dare potest honorum suorum portionem de qua erga extraneos disponere posset, et hic nihilominus pro sua qualitate hæredis in successionem veniet, modo hoc statuerit donator. *Art. 919.* Sic pater qui tres, quinque aut decem habet liberos, quartam omnium honorum suorum partem uni ex illis, extra ipsius partem, donare potest. At gravis requiritur ratio ut pater licite hujusmodi donationem facere possit, propter odia et dissidia quæ communiter inde oriuntur in familiis.

Si pater aut mater uni ex liberis suis bonum aliquod vendidit sub conditione census vitalis (*rente viagère*), vel usumfructum sibi reservando, venditio hæc pura esse donatio reputatur, ac proinde si excedat portionem quæ legitime dari poterat, reducitur, et pars excedens ad massam hæreditatis refertur. *Art. 918.*

SECTIO TERTIA. — De donationum reductione.

Cum donator alteri transmittere nequeat dominium honorum suorum quæ hæredibus ipsius a lege reservantur, certum est legatarium excessum acceptare non posse, nec acceptum retinere, quando moraliter certus est partem

reservatam lædi. Non ideo donatio est nulla, sed post mortem donatoris reductibilis est ad portionem quæ dari poterat. *Art. 920.*

Soli hæredes et ab iis causam habentes, ut, v. g., creditores, reductionem donationis inter vivos exigere possunt; nam in favorem hæredum hæc reservatio fuit instituta. *Cod. art. 921.* Aliud est in donationibus per testamentum, ut infra ostendemus.

Si plures sint donationes inter vivos, reductio, post exhausta omnia legata, fit incipiendo, a novissima et sic ascendendo usque ad primam, si opus fuerit, donec reservatio debita obtineatur. Ratio est, quia ultimæ donationes impediunt ne reservatio maneat integra; donationes enim quæ fiunt, dum reservatio manet integra, sunt validæ; quæ vero reservationem lædunt, jam validæ esse non possunt: ergo ab ultimis reductio incipi debet. *Cod. civ. art. 923.*

Quamvis donationes inter vivos reservationem non lædant tempore quo fiunt, non tamen sunt validæ, nisi sub conditione resolutoria; si enim ante mortem donatoris bona reservata quacumque via pereant, donationes antea peractæ reductioni subjicientur. *Cod. art. 922, et Delvincourt, t. 1, p. 742.*

Si autem plures existant donationes per testamentum, et portionem quæ dari poterat excedant, omnes æqualiter sunt reductibiles, id est, ab omnibus pro singulorum quantitate detrahitur, et quidem merito; nam donationes per testamentum non sunt validæ nisi in ipso mortis instanti: ergo omnes eodem instanti perficiuntur, vel omnes simul reservationem lædunt: ergo omnes reduci debent. Si tamen testator aliquam ex illis privilegiam esse voluisset, et expresse id declarasset, hæc non reduceretur, nisi ex hypothesi quod cæteræ ad reservationem constituendam non sufficerent. *Cod. civ. art. 926 et 927.*

Donationes inter vivos nunquam reducuntur, quin prius omnes donationes per testamentum exhaustæ fuerint; idque ex rationibus expositis sequitur. *Cod. art. 923.*

Ex iisdem rationibus concluditur legatarium nunquam

reductionem donationum inter vivos petere posse, nec donatarium reductionem alterius donationis præcedentis; neuter enim vel minimum jus habere potuit. Imo nec creditores donatoris defuncti reductionem petere possunt donationum quæ creditum suum præcesserunt, nec earum quæ secutæ fuerunt, nisi tunc donator jam fuerit impar ad debita solvenda, aut per ipsam donationem impar evaserit; secus enim donationes fuerunt validæ ac proinde irrevocabiles. Ergo creditores jus in bona sic donata acquirere non potuerunt. *Cod. civ. art. 921.*

Bona quæ per reductionem hæredibus defuncti adscribuntur, ad ipsos redeunt ab omni et quolibet onere libera, in cujuscumque manu tunc existant. *Art. 929.* Attamen mobilia non repetuntur apud alienos, nec ipsa immobilia, quando, discussis omnibus bonis donatarii, invenitur unde æquivalens solvatur. Similiter fructus illorum bonorum a die obitus defuncti ad hæredes pertinent, etiamsi possessor in bona fide exstisset; nam art. 928 non distinguit, sicque in eo casu derogat articulo 549 quo statuitur fructus rei alienæ ad possessorem bonæ fidei pertinere. Si tamen hæredes intra primum annum ab obitu defuncti reductionem non postulassent, a die petitionis tantum fructus repetere possent, *art. 928*, nec præcedentes possessor redere teneretur, si in bona fide fuisset.

Justam exigere posset compensationem pro impensis necessariis in re conservanda factis; item et pro impensis utilibus, secundum valorem inde adjectum rei a tempore donationis, non vero pro impensis ordinariis, nec pro voluptariis, nisi eas, absque detrimento rei, auferre possit: quo in casu poterit vel adjectum auferre, vel compensationem exigere. *Cod. civ. art. 861, 862.*

§ II. — De regulis donationibus inter vivos specialibus.

Regulæ illæ spectant ad formam donationis, vel ad acceptance[m] ejus, vel ad illius revocationem: itaque triplex hujus paragraphi erit punctum.

Punctum primum. — *De forma donationis.*

Omnes actus donationis coram notario in forma contractuum ordinaria fieri debent sub pœna nullitatis. *Cod. civ. art. 931.* Verum hæc nullitas non impedit quin bona sic donata, tuta conscientia retineri possint donec actus per sententiam juridicam fuerit rescissus, ut antea ostendimus. Actus donationis bonorum mobilium est nullus, si index hujusmodi bonorum æstimatorius non fuerit annexus primæ donationis præscriptioni (*à la minute de la donation*). *Cod. art. 948.* Donatio autem bonorum mobilium, facta traditione, valida est absque ullo actu, *ut supra diximus.*

Si donatio habeat pro objecto bona quæ hypotheca gravari possint, necesse est ut actus donationis et acceptationis in codice hypothecarum transcribatur (*aux bureaux des hypothèques dans l'arrondissement desquels les biens sont situés*), alioquin defectus transcriptionis opponi posset. Sed hæc formalitas non exigitur, nisi ut omnes quorum interest cognoscere possint ad quem bona immobilia pertineant. Unde rescissio hujusmodi donationis exposulari non potest ab ipso donatore sub prætextu quod transcriptio fuerit omissa. *Cod. civ. art. 941.*

Donatio quæ habet pro objecto bona futura, est prorsus nulla; nam hæc bona ad donatorem nondum pertinent: porro nemo potest donare bona ad ipsum non pertinentia. Si donatio simul habeat pro objecto bona præsentia et bona futura, sub respectu bonorum futurorum erit nulla. *Cod. civ. art. 943;* valida autem sub respectu bonorum præsentium.

Si statuatur in actu quod donatarius alia solvere teneatur debita, præter ea quæ tunc sunt certa, donatio erit nulla. *Cod. civ. art. 945.*

Punctum secundum. — *De acceptatione donationis.*

Donatio est contractus, ac proinde donatarii sicut et donatoris exigit concursus; donatio enim non potest esse

valida, quin donatarius jus in rem donatam acquirat: at jus strictum in rem acquirere non potest sine acceptatione. Unde statuitur in Codice, art. 932, donationem non ligare donatorem, priusquam expressis verbis acceptata fuerit.

Acceptari potest per actum actui donationis posteriorem, dummodo donator adhuc vivat.

Si donatarius sit major, donationem per se immediate acceptare poterit, vel per procuratorem ad hoc specialiter actu coram notario institutum. *Cod. civ. art. 933.*

Surdus-mutus per seipsum acceptare potest, si scribere valeat; si autem scribere nesciat, curator pro illo acceptabit. *Cod. civ. art. 936.*

Mulier, sub potestate viri constituta, nullam acceptare potest donationem sine mariti consensu, aut, marito non consentiente, absque iudicis auctoritate; mariti enim non parvi interest ut sciat a quo et qualem donationem uxor accipiat. *Cod. civ. art. 934.*

Donatio facta interdicto vel minori non emancipato, a tutore cum approbatione concilii familiæ acceptari debet. *Art. 935 et 463.* Minor emancipatus donationem per seipsum cum sui curatoris assistentia potest acceptare. *Eod. art.*

An autem acceptatio facta ab uxore, ab interdicto vel a minore, absque consensu mariti, etc., habenda sit tanquam ab incapaci facta, an vero tanquam formalitatibus a lege præscriptis destituta, non omnino constat. Putamus eam in foro conscientiæ habendam esse ut validam donec per sententiam iudicis rescindatur.

Pater et mater minoris, sive emancipati, sive non emancipati, aut alii ejus ascendentes, licet nec tutores illius sint nec curatores, etiam patre et matre viventibus, possunt pro illo donationem acceptare. *Cod. art. 935.*

Putat tamen *Delvincourt*, t. 1, p. 756, quod si pater minoris obsisteret, alii ejus ascendentes donationem pro illo acceptare non possent, alioquin hæc dispositio legitimæ potestati paternæ adversaretur; fieri enim potest quod pater sufficientes habeat rationes ut impediatur ne filia sua,